

112

110

116

106

121

101

161

061

211

011

Ende

Anfang

101

ubi cibi coquuntur, appropinquare audet, nec est aliqua Orientalis mulier, quae parare sciet offam, aut infantis babbam. Si ergo in domibus fierint cocturae, sine mulieribus coquina non posset esse. Tertia causa est lignorum defectus, quia Orientales regiones illae carent silvis et lignis et ligna ibi libra mensurata venduntur care. Si ergo Caire in domibus singulis fierent cocturae, sicut apud nos, omnia ligna Orientis non sufficerent pro illa sola civitate.

Insuper absque illis communibus coquis sunt alii coqui minores et pauperes, domibus et coquinis carentes; hi habent ferulam, instrumentum quadratum ferreum ab intus limo obductum, huic carbones imponunt et ollulos apponunt et craticulos, in quibus carnes elixant et assant, sumuntque ferulam ita paratam, super capita portantes, transeunt per vicos et clamore denuntiant, quid coquunt et an habeant carnes, an pisciculos, aut lacticinia. Homines autem in domibus audientes per fenestras respiciunt et si coctura placet emunt. Alieni etiam homines et pauperes paucis contenti in vico convenient cum eis et ad aliquem angulum se contrahunt et ibi residentes comedunt. Coquus autem ille scultellulas secum fert et omnia necessaria. De illis coquis sunt in illa urbe multa millia.

Sic multi valde cum utribus cum aqua repletis circumveunt, cyathum habentes in manibus et collo dependentem utrem et si cui bibere placet emungit de utre in cyathum et dat ei potum pro uno cremiunto vel pagadino, quorum 30 vix valent 1 den. Ulmensem. Alique autem pro Deo ita circumferunt utres et omni petenti se potum dant et nihil postulant, oblatum tamen sponte accipiunt.

Sic multi circumferunt fructus, panes et diversas merces. Et praeter haec vici et valvae et pategae et plateae mercibus sunt undique plenae et in bono foro sunt omnia.

Moneta regionis est nobilis et pretiosa. Aurei sunt Arabici, parvi quidem quantitate, sed magni valore. Argentei usuales sunt et dicuntur madini cum subscriptione Soldani; non tam lati sicut nostri cruciferi, sed meliores sunt et de puro (110 a) argento, quorum 25 faciunt ducatum. Sunt et alii minores argentei Achaici, quos nominant asperos, parvissimi in argento, sed parvi qualitate. Sed et moneta Venetiana est ibi nota, non tamen usualis, et si

